

terga vertebat, perlæsa Regem et icones illas quæritans. Quo facto, duo illa mala commisit, quæ populum suum fecisse, Deus tantopere quæstus est dicens: Me derelinquent fontem aquæ vivæ, et foderint sibi cisternas, quæ continere non valent aquas. Quæ omnia fusiis apud NIEREMB., l. c., explicata videri possunt. EN. NIEREMBER., in l. de Adorat. l. I, c. VI.

Ex occasione thematis: « Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam. » MAT., IX, 7. POSSUNT explicari potiora media ad peccatum vitandum. 1. Ergo demonstratur, peccatorem esse similem Paralytico ad probaticam piscinam jacenti, cum vere et is langueat in omnibus membris, seu potentiis, non possit se juvare, atque adeo auxilio Christi opus habeat. 2. Ostendatur, quod et ipsi curato dicat Christus: « Surge » per veram penitentiam, ac detestationem peccatorum; « tolle lectum tuum » deserendo occasiones peccandi, tam externas quam internas propriarum concupiscentiarum inordinatarum. Et « vade in domum tuam: » Id est, totis viribus ea, quæ ad tuam salutem et commodum spirituale pertinent, pertracta; in his enim tribus tota substantia veræ conversionis ac penitentiae consistit. Vide FABRUM, conc. II, Dom. 18 post Pent.

Ex occasione thematis: « Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Hiericho, et incidit in latrones: » LUC., X, 30, potest peccator huic homini comparari; et 1. ostendi, quomodo et ipse descendat ab Jerusalem (seu statu gratiæ) in Hiericho (seu statum peccati) incidat in latrones (id est, demones) qui spoliaverunt eum (virtutibus et meritis, et gratia) et plagis impositis (id est, vulneribus peccati inflicti) semivivum (nempe corporali dumtaxat, et non spirituali etiam vita viventem) reliquerunt. 2. Ostendatur quomodo curari debeat, scilicet per « oleum misericordiae divinæ, » pro quo proinde sæpius orandus est Samaritanus Christus, et per « justitiam vinum, » id est propriam cooperationem ac penitentiam. De quibus vide FABRUM, conc. ultima in Dom. 12 post Pentec.

Ex occasione thematis: « Surgam, et ibo ad patrem meum: » LUC., XV, 18, potest peccatoris status cum statu filii prodigi comparari; et 1. quidem ostendi, quomodo et cum quo fructu recesserit a patre, nempe quod in primis incurrat indignationem pa-

tris, hæreditatem amittat, dissipet substantiam acceptam (id est, gratiam, virtutes, et merita tam præsentia, quam futura) pascat porcos (id est, foetentes cupiditates ac passionem suas) et delectetur siliquis porcorum (voluptatibus immundis, nec tamen illis ad votum satiari possit). 2. Quomodo redierit in seipsum; surrexerit et iverit ad patrem exequendo statim propositum: doluerit de peccatis, eaque patri confessus sit: satisfactionem se obtulerit dicendo: Jam non sum dignus nominari filius tuus. De quo vide Julium Hayneuse in veritatibus practiciis. Fer. 5 infra hebdomada. 24.

DE PECCATO VENIALI. — Ex occasione thematis: « Beatus vir, qui inventus est sine macula: » ECCLES., XXXI, 8, potest dici, quod multæ quidem sint maculae, quæ sponsam aliquam sponso minus placentem et dilectam efficiunt, sed præcipue scabies, utpote quæ totum plerumque corpus, atque adeo singula membra inficit, et maculat. Talis autem scabies est ipsum peccatum veniale; id quod fusiis ex comparatione ostendi potest. Et 1. quidem propter « originem; » quia sicut scabies ex nimia abundantia malignorum humorum nascitur; ita peccatum veniale ex nimia concupiscentia rei alienius creatæ. 2. Propter « fœditatem: » quia sicut scabies omnem corporis pulchritudinem tollit, ideoque, licet non omnino a consortio sponsi excludat, tamen minus, amabilem facit, et horrorem ac displicentiam parit; ita idipsum respectu Dei peccatum veniale facit. 3. Propter « effectus: » quia sicut scabies valde magnam corpori molestiam et pruritum affert, ac interdum si ad interiores corporis partes repellatur, omnino mortem affert; ita et ipsa peccata venialia magnam valde pruritum animæ afferunt propter inordinatas concupiscentias, quæ quiescere eam non sinunt, et sæpe, si augeantur, ad mortem peccati mortalis disponunt. 4. Propter « modum curandi: » quia sicut scabies plerumque per aquas et balnea curatur; ita peccata venialia per aquas lacrymarum, ex penitentiae fontibus haustas: ad quas proinde frequentius adhibendas auditores excitentur.

Ex occasione thematis: « Socrus autem Simonis tenebatur magis febribus. » LUC., IV, 38, potest peccatum veniale febrim comparari. 1. Quia omnem animæ speciem, et pulchritudinem, sicut febris corpori, auferit. 2. Quia sicut febris immocho æstu et

frigore corpus graviter vexat; ita ipsum graves et molestos æstus concupiscentiæ, et frigus cupiditatis spiritualis in anima producit. 3. Quia sicut febris corpus valde debilitat, et ad lucra ex laboribus capienda inutilit facit; ita ipsum vires animæ summpere imminuit, atque a lucro meritorum celestium impedit. 4. Quia sicut febris invalescens ad mortem disponit; ita et ipsum, nisi mature per penitentiam curetur, paulatim per habitus malos generatos ad mortem peccati mortalis perducit. Excitentur proin Auditores, ut mature ad medicum Christum in Sacramento Penitentiae et Eucharistiæ recurrant, quia teste S. Bernardo, hoc Sacramentum et sensum minuit in minimis, et in gravius tollit omnino consensum. Vide FABRUM, conc. III, in Dom. 5 post Pent.

Ex occasione thematis: « Totā pulchra es amica mea, et macula non est in te: » CANT., IV, 7, ostendi potest. 1. Quanti semper ab hominibus æstimata sit, et etiamnum æstimetur pulchritudo, quantasque vires ea habeat ad amorem omnium hominum conciliandum; quanto plurius proin facienda sit spiritualis animæ pulchritudo, per quam ipsius Dei, Cœlitumque amor conciliatur. 2. Ostendatur, sicut pulchritudo corporalis per tria vitia corrumpitur, nempe per vultus nigredinem, maculas, et rugas, ita id ipsum in spirituali quoque pulchritudine contingere, utpote quæ et in ipsa corrumpitur aut immittitur, vel per nigredinem peccati mortalis juxta illud Jeremiæ: Denigrata est super carbones facies eorum, et non sunt cogniti, in plateis: THREN., IV, 8, et Jobi: Cutis mea denigrata est super me, et ossa mea aruerunt præ caumale: JOB., XXX, 30, vel per maculas peccati venialis, et rugas imperfectionum, seu languoris spiritualis, de quibus Apostolus locutus est dicens: Ut exhiberet sibi ipse gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, neque rugam. EPH., V, 3. Ostendatur gravitas hujus maculæ tum ex bonis, quæ impedit per diminutionem amoris, ex quo tamquam radice omnia bona oriuntur animæ; tum ex acerbitate lixivii aut balnei, quo in altera vita purganda est, nempe per purgatorii ignem. Qua de re videri possunt Nicolaus LANCIZ., OPUSC. XVI, toto, sed præcipue cap. XI, et Jac. ALVAREZ, de Extinct. vitior., p. I, l. I, c. VI, et seq.

DE RELAPSU. — Ex occasione thematis:

« Qui stat, videat ne cadat: » I COR., X, 11, potest peccatum morbo caduco comparari, ob tres præcipuos causas. 1. Quia sicut epileptici frequenter cadunt et affliguntur in terram; ita et consuetudinarii peccatores. 2. Quia sicut illi arentur a consortio hominum, et ministeriis sacris; ita et epileptici spirituales ab usu Sacramentorum, aliorumque ministeriorum sacrorum utili saltem usu repelluntur, et ad optatum cum Deo et Sanctis familiaritatem non admittuntur. 3. Quia sicut epileptici morbus præcipue sanguinis humani haustu curatur; ita et relapsus in peccatum frequenti summptione corporis et sanguinis Christi cavetur.

Ex occasione thematis: « Non inveniens requiem, dicit: revertar in domum meam, unde exivi » LUC., II, c. XXIV, potest ostendi gravitas relapsus ex triplici capiet. 1. « Ex parte Dei; » quia talis peccator magis a Deo derelinquitur; nam, ut languor prolixior aggravat medicum, et semel atque iterum de medico sanatum, suo tamen culpa recedente, medicus tandem fatigatus fastidit, et irritō labore fatigatus deserit; ita Dei indulgentia, et misericordia sæpius abutentem justitia Dei deserit. Hinc Christus ægroto dixit: « Ecce sanus factus es; jam noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. » JOAN., V, 14, 2. « Ex parte diaboli, » quia sicut, quando captivus semel elapsus, iterumque deprehensus acrius a lectore custoditur; ita et dæmon eum, qui semel iterumque per penitentiam manus illius evasit, cautius custodit, et vehementius impugnat, assumens eum septem spiritus nequiores se. 3. « Ex parte peccatoris: » quia ut convalescens periculosus labitur, et per frequentatos actus frontem et pudorem exuit, et consuetudinem induit; unde, ut expertus est S. Augustinus, ex voluntate perversa fit libido, et dum servitur libidini, fit consuetudo, et dum consuetudini non resistitur, fit necessitas, seu dura servitus. S. AUG., l. VIII, Conf. c. v. Ob quam causam S. Ambrosius dixit: Facilius inveni, qui innocentiam servarent, quam qui congrue penitentiam agerent. S. AMB., l. II, de Pen. c. X. Vide STAPL., tex. VI in Dom. 4 Quadrages.

Ex occasione thematis: « Noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat: » potest explicari triplex potissimum motivum, ob quod relapsus caveri debeat.

1. «Propter summam ingratitude[m]:» quæ enim major ingratitude excogitari potest, quam si captivus ad mortem damnatus, et summa cum difficultate et pretio ab interitu liberatus, ultro iterum se per antiquum delictum in pristinam captivitatem coniciat? aut æger pretiosissimis medicinis, et maximis impensis liberatus, ultro sibi et malitiose antiquum morbum accersat? 2. «Ob turpitudinem summam:» quid enim turpius, quam cum porcis in luto, unde paulo ante exierat, et ablutus erat, denuo volutari? quid foedius, quam materiam ex ore ejectam sponte resorbere, et ad antiquum vomitum redire? 3. «Ob stultitiam maximam:» quæ enim major stultitia, quam semel cum avicula e laqueis ereptum esse, et tamen ultro ad eandem insidias redire? cumque ipsa etiam bruta, asini maxime, nulla vi adigi possint, ut ad locum, ubi semel ceciderunt, redeant, solum hominem ad pristinas peccandi occasiones redire, et recidere?

ALII CONCEPTUS.

DE PECCATO MORTALI. — Gravitas. In Epistola, quam S. Paulus ad Hebræos dedit, cum docere vellet, unde accersere nobis solatium inter ærumnas, et robur ad fortiter perferenda adversa debeamus, jubebat attentis oculis Christum Magistrum, et Duce[m] nostrum arbitrari, qui omnia cruciatum et dolorum genera expertus fuerit, atque ideo non misereri non possit eos, qui rebus afflictantur adversis. Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, «tentatum autem per omnia, pro similitudine, absque peccato:» *HEBR.*, IV, 15. Hic locus multas dubio procul patitur difficultates. Nam quantum verba Apostoli sonant, videtur ille dicere, quod Christus solum apparenter tentatus fuit: Tentatum pro similitudine; quodque illius tormenta fuerunt magis picta, quam vera; sed cum fidei certum dogma habeat, Apostolus ipse doceat, quod Christus reapse, non imaginarie, vere, non apparenter passus est, quomodo verba ejus recte accipimus? verus illorum sensus facilis est, et obivius. Nonne dicit S. Paulus, Christum fuisse tantatum, vexatum, passum absque peccato? certum est. Quod ergo dicit, tale

est: Non aio ego, Christum non fuisse vere tentatum, afflictum, cruciatum, passum; hoc dicere volo, tantam esse peccati malitiam, ut omnes miseria, cruciatus, dolores, si cum illo conferantur, magis picti, quam veri videantur, ut propterea Christus, quia absque peccato fuit, magis pro similitudine tentatus, quam reapse; et apparenter potius, quam vere passus fuerit, quamvis inexplicabiles cruciatus tulerit. Granditer, et magnifice amplificavit Apostolus malitiam peccati, quæ tanta sit, ut dolorum et cruciatuum nomen non mereantur quantivis illi dolores et cruciatus, a quibus absit peccatum. *Dm. Nyss.*, *pp. Vit. Abra.* I, II, c. ix.

S. Bruno alicubi ait: «Superflua, et nociva sola, peccata sunt.» Gravior dictum illud, superflua sola peccata sunt. Superfluum vocatur id, quod nulli usui est ex quo nihil utile fieri possit. Solum ergo peccatum superfluum est; ex illo enim nihil nisi malum, et noxium hauriri potest. Cætera mala superflua dici nequeunt, nam «diligentibus Deum» (ut sanctus Paulus *Rom.* VIII, 28, habet) «omnia cooperantur in bonum,» etiam illa, quæ mundus in malis non bene censet. Ingeniosa charitas et alchimie sanctioris perita, solenter ex ferro ærumnarum producit aurum, ad conficiendam coronam gloriæ, et tanquam sedula apis ex omnibus legit mel, non ex suavi rosmarino solum, verum ex amariore genista etiam. Ex omnibus meritorum lucra facit servus Dei. Ergo si omnia mala, quæ conjuncta habent gratiam Dei, convertuntur in bona, nullum aliud malum erit præter peccatum, quod omnia bona sic pervertit, ut convertat in mala. S. Bruno, *s. de Nat.*

Quærit Angelicus Doctor S. Thomas, utrum in virtuosio hominibus posset esse verecundia hoc est, an quid si quod illis adferre ruborem queat. At postquam ventilavit quæstionem, sic de illa pronunciat: «Senes, si virtuosio carent verecundia, sunt tamen sic dispositi, ut si in eis esset aliquid turpe, de hoc verecundarentur.» (Quam apposite hoc in loco Angelicus Doctor senes virtuosio adjunct? Senem quidvis decet, nullius rei illum pudet. Ubique loqui, et sedem, quam vult, deligere potest. Non illum dedecet neglectior vestitus, horridula verba quamquam proferat, tametsi ejus impexa sit oratio, tametsi incompti inornatique sermones, non erubescit. Tales sunt etiam virtuosio studiosi, verecundia carent,

solum peccatum est, quod illis dedecori esse posset, solum peccatum vident esse indecorum, et adferre posse ignominiam. S. Thom. II, II, *quest.* 144.

Salomon inter alia sapienter dixit: «Laudavi magis mortuos, quam viventes, et feliciorum utroque judicavi, qui necdum natus est.» *EccL.*, IV, v. 3, velut dixisset: Expendi in statera vivos, mortuos, nondum natos, et in altera quidem lance posui vivos, cæteros in altera, et visa sunt mihi graviora pondera horum, quam illorum. Possemus hic jam sciscitari, cur Salomon mortuos supra vivos extulerit, et utrisque feliciores arbitratus fuerit eos, qui nondum in hanc lucem editi essent. Videtur enim is, qui non est, in comparationem eorum, qui sunt, vel certe fuerunt, venire non posse. Sanct. Ambrosius hanc nobis admittit dubitationem, inquiring: Mortuo præfertur, qui natus non est, quia peccare nescivit. Qui nescit quid sit peccare, nescit quid sit esse infelicem: propterea ille vere infelix est, qui vivit, eoque nomine beatorum illo est, qui mortuus; jam enim cessavit peccare, et, absolute loquendo, major est infelicitas illius, qui actualiter peccator est, quam ejus, qui æternis apud inferos cruciatibus addictus, quia hic jam non est in eo statu, in quo peccare queat: (quamquam viventi etiamnum peccatori spes sit reliqua, quod a malo statu suo cum opitubatrici gratiæ Dei auxilio evadere possit) et mortuum, cui vita, simulque potestas peccandi decessit, hac re superat ille, qui nunquam vivit, quia nunquam etiam, quid esset male agere, scivit. Itaque tametsi inter non natum, et damnatum, sit quedam conditionis inequalitas, alter alterum excedat, ambo tamen felicitate præstant vivo, quia hic potest delinquere: illi vero vel non possunt, vel prorsus nesciunt, quid sit Deum offendere. Hinc arbitrari licet, quanta sit miseria peccare, et quod hæc sola sit suprema infelicitas. Et videtur Salomon invenire non potuisse, unde censeret hominis beatitudinem, nisi inde, quod vel peccare nequiret, vel quid sit peccare, ignoret. S. AMBR., *lect.* XVIII, in *Ps.* CXVII.

Jacob Patriarcha quibusdam domesticorum suorum sic aiebat: «Abjicite deos alienos: surgite, et ascendamus in Bethel, ut faciamus sibi altare Deo.» *GEN.*, XXXV, 3. Illud «surgite» est vox accendentis animos ad strenue agendum, quemadmodum copiarum

militarium ductor verbis exhortatoriis incitare, et inflammare suos milites ad fortiter dimicandum solet. Ubi notandum, quod nunquam sic locutus fuit familie suæ Jacob, in quantumque periculo versaretur, ac ne tunc quidem, quando fratrem cum manu armata venturum timebat, et nihil nisi certam ab illo necem, extremamque stragem expectabat. Tametsi enim domesticos suos admodum aciei ordinatæ digessit, verum hic, cum eos ad abjiciendos deastros hortaretur, tanquam ad rem ancipitem et discrimine plenam excitasset, aiebat: surgite, quod verbum curam, sollicitudinem, diligentiam, ac vigiliantiam significat. Cur vero sanctus Patriarcha suos ea occasione tam vehementer erigere, tam acriter incitare studuit? Erantne periculi aliquid præ foribus? Aut hostis a tergo forte imminerebat? Aut buccinarum clangor aures illi, pectusque perstringebat? Aut splendentium armorum hostilium apparatus, strepitus, aspectus cor illius exterebant? Nihil horum. Quid ergo illum tam sollicitum, et anxium habebat? Abdicatio falsorum deorum, quos vernaculorum quidam colebant: Abjicite deos alienos, aiebat, abstinete a peccando; et unum, solumque Deum venerari suadens. Hocine vero tantum curæ, sollicitudinisque illi adferrebat? Hocine animum illius discutiabat? Hocine pervigilem et insomnem faciebat? Prorsus istud illum sollicitabat vehementer, et premebat graviter, et torquebat acriter. Nam peccatum est inter hostes maximus, pernicitissimus inter inimicos, inter adversarios omnes maxime formidandum. Nam iratus, et armatus ad necem frater, et furiosus Caban, et totæ ærumnarum cohortes contra hominem aliquem federatæ, parvi momenti sunt, dummodo a conjuratione illa unum absit peccatum. Ac propterea Jacob ad hoc abjiciendum, fugandum, fugiendum tam studiose excitat suos, et totis animis rem istam agere hortatur. Ad hunc nempe inimicum ex anima ejiciendum, et conficiendum, omne animæ robur verti debet; quia illud est sola et suprema infelicitas, cui mala omnia de via cedunt, et concedunt, et tributa pendunt. *Nyss.*, *Pol.* VII, I, IX, c. 1.

Quæstio non levis est, cur divina severitas permiserit, ut discipulorum, quotquot fuerunt, ac futuri sunt perfidiosissimus, sævus ille sui ipsius carnifex, cum in sublimissimo ligno suspensus esset, creparet me-

illo offenditur. In pulverem redelegisti primos parentes, pulvere igitur vesceris tota vita. Nvss., l. IX, c. viii.

Admiranda fuit olim divitis Epulonis obscercatio, qua ex ardentis pœnæ suæ stagno Abrahamum interpellavit: guttulam aquæ nonnisi unicam, ad inflammata linguæ refrigerium supplex deposcebat. Oratio ejus talis erat: « Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam; » Luc., xvi, 24. Oh! in quantum miseriam, et penuriam redactus fuit homo, paulo ante tam splendide, et laute vivere, atque epulari solitus! Extremum Lazari digitum implorat, deciduamque ab illo stillulam aquæ petit, qua linguæ ardorem vel nonnihil mitigaret, quo intolerabiliter afflictabatur. O quam subtile, et commodum est themati nostro, quod in hanc rem beatissimus Papa Gregorius excogitavit! Is lib. XVIII, *Moralium*, c. xii, sic scribit: Videmus in verbis divitis ex subtilissimo Dei judicio, quam digna tali culpæ pœna responderit. Agente namque inopia, illic usque ad minima petenda compulsus est, qui, agente tenacia, usque ad minima neganda pervenit. Quid retribuì subtilius, quid districtius potest? Diligenter considerandum secretum Dei judicium, quo in divitem illum Epulonem animadvertit, quando tam inopem fecit, ut inter ultrices flammæ unicam solam, nec aliam, quam aquæ guttulam postulavit. Quamobrem vero tali supplicio addictus fuit, ut unam aquæ guttulam angelus peteret, et consequi non posset? Attentis oculis legite quæ apud S. Lucam dives, et avarus Epulo pauperi Lazaro faciebat, cum ad ejus fores fame tantum non enectus jaceret: « Jacebat ad januam ejus cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa divitis, et nemo illi dabat, » *Ibid.*, 20, 21. Tam importuna, et molesta esuries ulcerosum infestabat Lazarum, et quæ latratu et exactione immanes inanès ventriculi, solis micis fortuito relictis ante mensam avari divitis delapsis compescere vellet, et neque tam facile, tenuaque, et parabile famis levamen illi quisquam ferret. Dicit tunc Gregorius: Notate mihi hic magnitudinem sapientiæ omnipotentis Domini, et justî Judicis, quomodo divitem Epulonem eo torqueat, quo peccavit. Ille volebat occurrere naturali desiderio, quo miser Lazarus suam diræ famis duram necessitatem micis decidui panis

depulsam optabat: hinc ergo tantam inhumanitatem suam expectatione, et expellitione stillulæ aquæ, et nunquam obtineat; ut vel hinc liqueat, num sapienter supremus Juxta noverit disponere, ut ex ferro culpæ confletur gladius pœnæ, hoc est, ut affigatur gutta aquæ petita, neque impetrata, qui deliquit mica panis postulat, et non concessi. Quam digna tali culpæ pœna respondit, namque illic usque ad minima petenda compulsus est, qui hucusque ad minima neganda pervenit; quid retribuì subtilius, quid districtius potest? *Ibid.*

In ipsis adeo brutis animalibus reperimus, quo thema nostrum constabiliamus, de quibus patientiæ sponsus Job dixit, ut his nonnunquam pro magistris, et vitæ moderatioribus utamur, inquit: « Interrogamenta, et docebunt te: » Job., xii, 7. Videamus ergo, quid phoenix noster Basilivus dicat de his animalibus, quæ de morte vivunt animalium aliorum. Animalia, quæ sanguine gaudent, et quæ aliis exitium adferunt, certum est longe minus fecunda esse; quapropter leonis vix læana mater evadit. Hæc ille hom. ix in *Hexam.* At quid latentis mysterii habere potest, quod animalia, quæ venatu, et cæde vivunt aliorum animalium, et vitali sanguinis alieni pascentur liquore, eo plectuntur supplicio, ut rarum habeant propagationis suæ speciei fructum, quem natura tam ardentè desiderat? In promptu causa est ea, de qua hic agimus, quod videlicet Dominus ea re nos vult docere, quod eo solent illi uti ad vindictam, quo peccans utitur ad culpam, id quod in ipsis adeo brutis animalibus observat, ut propterea illis non permittat longam posteritatis successionem, quæ aliis abbreviat vitam, ut producant suam. Animalia, quæ aliis exitium adferunt, certum est, longe minus fecunda esse, scilicet, ut ne diu in sobole vivant, quæ vivere diu alia non sinunt. *Ibid.*

Peccatum quidem simile esse volunt particula negationis, « non, » quæ, ut Logicorum axioma habet, est malignantis naturæ, quia, quidquid post se invenit dictionis, destruit; sit quisquam prudens, sapiens, sanctus, solitarius et plurimis aliis virtutibus excultus, ut omnia hæc illi ornamenta detrahas, quid factu opus? A capite omnium encomiorum, quæ in illum congestissimè, unum « non » statue, ita illa elogia prorsum abolevistis, ut ille, quem antea tam

multis commendasti, jam non prudens sit, non sapiens, non sanctus, non solitarius, quia negatio (quæ est illius insignis malitia) omnia corrumpit, ac destruit, quæcumque post se invenit. *Ibid.*, § 2, in *Dom. 3 Quad.*

Cicero dicebat, vitam justî debere esse instar carminis, cui si vel syllaba desit, aut exeret, ex sibilis: nihil accedere superfluum versui, nihil decedere necessarium debet; tantam requirit res ista integritatem et æquitatem! Talis debet esse vita justî, sit quispiam amans aliorum, sit patiens, sit frugi, sit dives virtutum, uno peccato evertere omnem illum apparatus potest.

Quadrat huic proposito illud cujusdam sancti emblema, quo ille pro consiliorum suorum, et rerum, quas animo designarat, insignibus utebatur: eratque brachium præferens gladium, quo detruncebat septem capita hydræ Hercules, cum hac descriptione: Aut omnia, aut nullum: commodum est causæ præsentis emblema; serpens enim, ut ferunt, quo cum Hercules depugnavit, septiceps erat, quem ut expugnaret, necessum erat omnia, uno ictu simul demerere capita: nam cum unum solum amputabatur, ex illa alia septem renasebatur. Itaque fortissimus Hercules septem capita ejus simul desecuit, et sic de Hydra triumphavit. Hoc propositum habere debet homo Christianus, et curare, ut aut omnia flagitiorum monstra obrunet, aut nullum expugnasse putet: nisi enim omnia peccata capitalia subigas, nunquam exhibis victor; nam si unum solum reliquum facias, id te superare, ac dejicere poterit. In quam rem dixit S. Dorotheus, *Doctrina*, xi: Si unicum tantum passionem anima habituatam haberit, ex ea subjecta jam hosti mora etiam minima, in captivitatem duceretur. *Ibid.*

Alexander Magnus Calisthenem, quod illius vitam reprehenderet, turpiter obrunxit. Fuit Calisthenes Philosophorum sui sæculi facile sapientissimus, ac modestissimus. Illud ergo Alexandri factum, cum expenderet Seneca qq. natural. l. vi, c. xxii, dicebat: Hoc est Alexandri crimen æternum, quod nulla virtus, nulla bellorum felicitas redimet, quod unum omnibus, quæ in illo sunt industria, obfuscandis sufficit. Nam quoties quis dixerit: Occidit Persarum multa millia, idque militum pene paucorum opera, opponetur: Et Calisthenem occidit, cujus interneconis umbra totam

triumphorum illius lucem, et gloriam obscurat. Majus est hujus flagitii pondus, quam omnium virtutum: Quoties dictum erit: Occidit Darium, penes quem tunc magnum regnum erat, opponetur: et Calisthenem occidit: ista occisio tanti illius triumphii mors erit. Quoties dictum erit: Omnium oceano tenus vici, ipsum quoque tentavit novis classibus, et imperium angulo Thraciæ usque ad Orientis terminos protulit, sic, ut nullum esset regnum quod non invaderet, et occuparet; non aliqua natio, quam non subigeret, dicitur: Calisthenem occidit, et quid illa omnia, quæ una Calisthenis obrunxit perpetua Alexandrum fœdâ nota; vel si illis multo plura, et memorabiliora præstifisse, omnia licet antiqua Ducum, Regumque exempla transierit, ac superarit, longissimoque post se intervallo reliquerit; nihil tam magnum erit, quam scelus Calisthenis. Hinc videamus, quanta sit unius peccati malitia, quam violentum illius venenum, cum Seneca putarit, unicum solum sat fuisse obliterandis omnibus Alexandri triumphis, quos magnitudine animi, brachii robore, et industria ingenii sibi paravit: Nihil tam magnum erit, quam scelus Calisthenis. *Ibid.*

Per peccatum occidit homo animam suam; ubi nota, quod peccator assimilatur mortuo propter tria. Primo propter consimile defectum, propter similem effectum propter similem aspectum. Primo corpus distemperatur; secundo infirmatur; tertio moritur; quarto portatur extra domum; quinto sepelitur; sexto a verbibus consumitur. Isto modo anima, primo destemperatur per tentationem et cogitationem de peccato; secundo infirmatur, per comitantem delectationem; tertio moritur, per consensum; quarto asportatur, et elongatur ab hominibus, per culpæ suæ abominationem, et difamationem apud homines; quinto sepelitur, per malam consuetudinem; similiter enim, ut terra vel lapis superpositus onerat, et opprimitur corpus, ut non resurgat; ita mala consuetudo, quæ est quædam moles gravissima, opprimit, et incitans homines ad peccandum; sexto corpus mortuum a verbibus consumitur, et mens privata vita gratiæ, a verme conscientiæ, desperationis et finalis impenitentia, corroditur, mordetur. S. ANTONIUS, p. l. t. v, c. v, § 12.

Mors facit corpus regium, frigidum, putridum, horridum, terreum, atque ponde-

rosam; isto modo peccatum mortale facit animam rigidam, superbam, et inobedientem ad Deum; frigidam per invidiam; foetidam per luxuriam; putridam per gulæ immoderantiam. Quantumque homo fuerit amabilis, pulcher, et delicatus, statim post mortem erit horribilis, turpis, et abominabilis, et a communione hominum separandus; sic anima ante peccatum pulcherrima et formosa videtur, adeo, ut de illa dici possit illud Canticorum quarto: «Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te;» sed per peccatum spoliatur gratuitis, et vulneratur naturalibus; fit foetida, et abominabilis coram Deo, ut dicat illud Ezechielis xvi. «Abominabilem fecisti decorem tuum.» Et tunc per peccatum anima misera separatur a communione fidelium, et ab amicitia Dei, et Angelorum bonorum. Prov., xiv. «Miseros facit populos peccatum.» IEREM.

Didacus Stella de peccato sequentem habet considerationem. Vipera non inficitur suo proprio veneno, nec basiliscus, nec alius serpens, nec quidem bestia suo proprio veneno interimitur: at vero peccatum ita pessimæ conditionis, et naturæ est, ut sua propria subjecta perdat, et destruat. Apud Isaiam dicitur: «Ova aspidum ruperunt: qui comederit de ovis eorum, morietur, et quod confortum est, erumpet in regulum.» Porro ova aspidum exteriorem speciem habent pulcherrimam, valdeque placentem; at vero interius venenum continent pestiferum, et ex iis, dum fota sunt, aspidæ egrediantur. Ita quoque voluptates, et delicie mundanæ et carnales appetibus nostris quidem placent, sensusque carnis recreant, et oblectant, cum tamen animæ et corpori necem et ærumnas inferant æternas. Dio. STELLA, in *Luc.*, c. ii.

Olim in monte Ephraim certus quidam vir nomine Micha habitabat, qui fabricatum quoddam a se idolum, in capellam quamdam collocarat, atque ad idem debito cultu venerandum prædixit stipendio Levitam quemdam, qui ei ministraret, conduxerat. Accidit autem, et nonnulli de tribu Dan in illis finibus circum vagarentur milites, armata manu domum viri illius ingressi, ut tanquam in regione illa prorsus peregrini, de via, quam intiri essent, ab ipso informarentur, conjectoque oculo in prædictum idolum, quod pretiosum erat, illud una cum ornamentis sacerdotalibus

sustulerunt, reclamantem vero Levitam, ne se illis opponeret, tribus suis Sacerdotio provisum secum duxerunt: Micha autem domum revertens, furtumque idoli sui subito notans, propeo gressu milites insecutus est, clamans et ejulans; milites autem se ejulatus hujus causam noscitur fingentes, eum interrogarunt: Quid tibi vis? cur clamas? Quibus desolatus Micha respondit: «Deos meos, quos mihi feci, tulistis, et Sacerdotum, et omnia, quæ habeo, et dicitis mihi, quid tibi est.» Mira profecto res hæc fuit, etenim hic Micha nihil aliud perdidit, quam partem quamdam marmoris vel metalli, id est, falsum quoddam simulacrum, ex marmore vel metallo fabricatum, in quo deum suum venerabat, tametsi revera dæmon honorem illum acciperet, et tamen tam amare plorabat, dicebatque, omnia sibi sublata esse, quæ habebat: Et omnia, quæ habeo. Nos vero revera sumus illi, qui, quando per peccatum Deus nobis eripitur, seu a nobis recedit, vere dicere possumus: Deum meum, et omnia, quæ habeo, amis. Unde S. Seraphicus Franciscus dicere solebat: Deus meus, et omnia; tamen tantum abest, ut propter hoc lamentemur, et ploremus, ut potius lætemur, cum male fecerimus, et exulemus. Porro Micha invito fictum hoc nomen sublatum fuit: nos vero facimus quicquid possumus, omnemque industriam adhibemus, ut illud amittere valeamus, signidem multis cum sudoribus et molestiis peccandi occasiones inquirimus, ut vere dicere possimus: Lassati sumus in via iniquitatis, ambulavimus vias difficiles: cæterum vero nemo infinitum hoc bonum, id est, Deum nobis eripere potest, nisi ultro, citroque volentibus, ac proinde sanctus ille Monachus, qui jugi semper gaudio perfusus conspicietur, gaudii sui causam edicere rogatus, respondit: Quia Christum a me tollere nemo potest. MANSIUS, *Dist.* viii. n. 3; *JUDIC.*, xvii et xviii.

Est certum quoddam genus fulminis, quod aurum sacculo inclusum absorbet, et consumit, sacculo exteriori remanente, sicut prius erat, sine ullo læsionis vestigio. Idem quoque per culpam mortalem accidit animæ: hæc enim insensibiliter thesaurum divinæ gratiæ animæ Christianæ eripit, ipsa anima in oculis nostris manente, sicut prius erat, adeo ut, licet peccator ad ignem condemnatus sit immortalæ, et extra gratiam

Dei positus, potestati dæmonis sit traditus, nihilominus sæpe post exsatiatos appetitus suos lætior et jucundior erit, quam unquam alias fuerit. IEREM., *Dist.* xi, n. 4.

Simile peccatum est Sacerdotis degradationi, quo spectaculo nullum dari potest funestius, aut lærymabilius, quia eidem indumentis sacerdotalibus amictu, et calicem in manibus portanti, hic ab Episcopo e manibus illius tollitur, ornamentis quoque et vestibus sacerdotalibus sigillatim exiit, idque verbis improprium indignitatis suæ expressivis adhibitis; ac tandem justitiæ seculari extrahitur, ut per sententiam criminalem mortis supplicio pro merito adjudicetur. Sed eheu! quam est funestior, et compatibilior degradatio, qua anima ab æterno Pontifice Christo in conspectu totius curiæ celestis degradatur, dum opulenti despoliatur gratiarum, donorum, virtutum, et meritum, omniumque aliorum bonorum operum ornamentis, ac tandem in manibus et potestate dæmonum relinquitur. Quid mirum igitur, si eidem animæ in potestate dæmonis relicta, vires amplius non suppetant eidem diabolo resistendi? S. BOV., l. III, c. vii, *Compend. The.*

Deus in libro Levitici Moysi, quoad ferentes sacrificia, præcipit dicens: «Offeret pro peccato suo simile partem Ephraim decimam, non mittet in eam oleum, nec thuris aliquid imponet, quia pro peccato est.» Porro, omnia hæc in figura contingebant illis; numquid enim de nobis cura est Deo; quid inderat sapientiæ illi incretæ ejusmodi ritus, et minutias pro oblationibus faciendis præscribere, nisi in illis latuisset aliquid mysterium, animabusque utile et salutare documentum? Porro quod in hoc sacrificio pro peccato faciendo exclusum fuerit oleum, hujus ratio facile intelligitur, quia cum per oleum denotetur, lætitia: (unxit te Deus tuus oleo lætitiæ) minime conveniebat oleum, quia quando de peccati expiatione agitur, compunctio potius, et plañctus requiritur. At vero quamobrem etiam incensum, quod orationis est symbolum, ab oblatione facienda rejicitur? Oleaster nodum hunc solvit dicens: Si enim per thus orationes intelligas, deprehendes, quam ægre ferat Dominus bona malis involuta. MANSI, *d. xii.*, n. 3. *Horatius Mansi.* S. Hieronymus in Epistola quadam ad Celantiam, multorum reprehendit errorem qui multa bona opera, cum conscientia et remorse gravi peccati con-

jungunt, persuadentes sibi, illa quoque Deo placitura esse: seque inde habituros esse meritum salutis æternæ; ita enim scribit: «Quid autem prodest tenuari abstinentia corpus, si animus intumescat superbia? Quam laudem merebimur de pallore juvenitii, si invidia lividi simus? Quid virtutis habet, vinum non bibere, et ira atque odio inebriari?» S. HIER., l. I, *Ep.* ii.

S. Greg. super illa verba Jobi: «Circumdedit me lanceis suis, convulserunt lumbos meos,» acute observat, Prophetam non dicere: vulneravit; sicut enim loqui aliquando unius est, colloqui vero duorum, vel fortasse multorum; sic antiquus hostis, quia nos ad culpam sine nostra voluntate, non rapit, nequaquam lumbos nostros vulnerare, sed convulserare dicitur, quia hoc, quod ille malum suggerit, nos sequentes, et voluntate propria implemus, et quasi cum ipso nos pariter vulneramus, qui ad perpetrandum malum ex libero arbitrio ducimur. Quoniam respicere creditis illud a S. Paulo nobis suggestum consilium: «Nolite locum dare diabolo.» Quisnam adeo reperietur incurius, qui vel in domum suam, vel in lectum suum, et maxime vero in sinum suum excipere, aut admittere, velit serpentem? Multo igitur minus admittet dæmonem. Et tamen quotidie videmus, quod illi indulgetur aditus, non solum intra sinum, verum etiam intra cor nostrum. S. GREG., l. XXIII, *Mor.*, c. ix.

Idem Sanctus exponendo textum alium Jobi: «Aspergatur in tabernaculo ejus sulphur,» hanc supplicii hujus reddit rationem. Sulphur enim quid aliud aliud, quam fomentum ignis est, quod tamen sic ignem nutrit, ut fœtorem gravissimum exhælet. Quid itaque in sulphure, nisi peccatum carnis accipimus? Quod dum perversis cognitionibus, quasi quibusdam fœtoribus mentem replet, æterna ei incendia præparat, et cum fœteris sui nebula in mente reprobat dilatata, contra eam flammis subsequen- tibus quasi nutrimenta subministrat; nam quia per sulphur fœtor carnis accipitur, ipsa sacri eloquii historia testatur, quæ contra Sodomam, ignem, et sulphur pluisse, Dominum narat: qui cum carnis ejus scelera punire decrevisset, ipsa qualitate ultionis notavit maculam criminis. Sulphur quippe fœtorem habet, ignis ardorem; qui itaque ad perversa desideria ex carnis fœtore arserant, dignum fuit, ut simul et igne et

sulphure perirent. *Idem*, l. XVIII, *Mor.*, c. XI.

S. Antonius Paduanus ait : Quinque porticus sunt quinque considerationes, quas debet habere peccator : debet enim considerare : Majestatem, quam offendit : « Si peccaverit vir in virum, placari potest ei Deus, si autem in Dominum peccaverit quis orabit pro eo? » I *Reg.*, xxv. Maculam, quam contraxit. Quid enim tam fœdum, quam peccatum? *Jerem.*, III, 2. « Leva oculos tuos in directum, et vide ubi non prostrata sis. » Bonitatem, quam contempsit, *Rom.*, II, 4. « An divitias bonitatis ejus, et patientiæ et longanimitatis contemnis? » Gloriam, quam amisit, *Ps.* xviii, 18. « Noluit benedictionem, et elongabitur ab eo. » Penam quam promeruit æternam, *Matth.*, xxiii, 41. « Discedite a me maledicti in ignem æternum. » *S. Ant.*, s. 6, *post Dom.* 1 *Quadr.*

Ab Apologo quodam de ericio dicitur, quod spinis toto corpore refertus, cum se velut in rotundum quemdam, et parvulum globulum constrinxisset, a diversis animalibus locum sibi in eorum cavernis indulgeri petierit, eo quod venatores suum latibulum totaliter destruxissent : at vero cum apud omnia petitionis suæ passus esset repulsam, adeo blande se apud vulpem insinuare novit, ut de nulla sibi inferenda molestia secura, cum sic intra se contractum hospitio suo exceperit; postquam vero ericius vulpis foveam ingressus fuisset, paulatim adeo se dilatare cœpit, ut spinæ vulpem pungentes eamdem foveam suam egredi, et derelinquere coegerit. Ex qua fabula utilissimam quædam nobis elicere moralitatem licet, quæ, ni fallor, ab Isaia Propheta tacite insinuata fuit; nam de anima quædam Deo rebeli id sensu morali disserens ait : « Ponam eam in possessione ericii; » enim vero dæmon se ex multis animalibus perfectis exclusum videns, ab iisdem parvulum sibi in corde ipsorum aditum indulgeri postulat, blandam illis ingerendo suggestionem, appetitui nostro consentaneam, v. gr. voluptatis sensualis, honoris, gloriæ, vel alterius similis; et si contingat primos hæc motus ab illis recipi, et per aliquam indulgentiam moram blande tractari, mox ipse pro obtinendo in peccatum consensu strenue laborare non cessat, donec impetret, quod intendebat; hoc pacto, inquit Chrysostomus, si introierit, cuncta di-

latet, et amplificat, illi enim dumtaxat initiis opus; si vero nactus fuerit initium nocendi, omnia sibi suoapte ingenio vestigat, et amplificat. *S. Chrys.*, in c. xv, *Isaia.*

Cancer marinus, dum ostreis et conchyliis venando insidiatur, a nature magisterio hac præditus est proprietate, ut ad hoc, ut ostrea compos fiat, occasionem expectet, qua illam suam aperiet domunculam, in qua latet; mox enim ut hæc aperitur, ipse subito quemdam ejus labiis interjicit lapillum, vel lignum, vel aliud quid simile, ne totaliter claudi possit; et hoc adhibito artificio ingreditur domunculam, et ostream devorat. Serpens erat callidior cunctis animalibus terræ, id est, diabolus; hic enim animæ nostræ, quam Redemptor noster margaritæ similem dixit, indefesse insidiatur; hic igitur mox, ut cor nostrum, quod mysticum quoddam est conchylium, creaturis aperimus, in iisque affectum aliquem inordinatum exponimus, hac occasione bene uti sciens per suggestiones, blandimenta, et illecebras suas, tantum efficit, ut sensim et paulatim animam ingreditur, ejusque possessionem capiens, inæstimabilem illam devoret, aut deprædetur gemmam, de qua sacer textus ait : « Inventa una prætiosa margarita, abiit, et vendidit omnia, quæ habuit, et emit eam. » *Mansi*, d. IV, n. 2.

Latrones magis experti hanc habent consuetudinem, ut quando domum aliquam directe et immediate ingredi nequeunt, ne dejiendo portas, vel ostia, aut aperiendo fenestras strepitum faciunt, qui illos in auribus incolarum prodant, parvulum quemdam astutum, et ad hoc edoctum juvenem per crates ferreas, vel alias modicas domus aperturas, in eamdem domum immittunt, qui tandem fores domus intus aperiat, per quas commode ad deprædandam domum ingrediuntur. Eodem quoque artificio latro infernalis nobiscum frequenter utitur, ut domum animæ nostræ omnibus spiritualibus donorum, gratiarum, et meritum thesauris, quæ cælo comparando congregaveramus, despoliare possit. In *APOCALYPSI* quidem Deus ipse dicit : « Veniam ad te tanquam fur : » melius autem verba ista inimico generis humani adaptari possunt; hic enim, ut nobis in tenebris ignorantia et cæcitate constitutus, et salutem æternam furando eripere possit, diligenter attendit ad aperturam malæ alicujus nostræ propen-

sionis, per quam postea modicam quamdam venialis culpæ intronitit suggestionem, v. gr. alicujus verbi inhonesti, incauti oblitus, vani gestus, vel blandæ alicujus salutationis : singula enim ista et sufficiunt, ut portam cordis ad delectationem morosam, ad desiderium, ad consensum, ac denique ad opus aperiri faciat, et sic misera anima omnibus bonis suis exiit, et spoliatur. *Mansi*, d. n. 4.

Peccatum, teste S. Bonav. est sicut falsitas in panno : nam sicut mercator de falso panno non ostendit emptori medium, neque finem, sed tantum caput; sic diabolus, qui est mercator peccati, ostendit fatuo emptori solum caput panni, id est, delectationem culpæ, non medium, id est, remorsum conscientia, vel finem, id est, penam gehennæ. *S. Bern.*, in *Diet. sal.*, tit. I, c. II.

CONCEPTUS.

DE PECCATO VENIALI. — « Damnum » Didaucus Stella ad nostram instructionem ita scribit : Cavendum est diligenter a prioribus peccatis, nam licet parva tibi in principio videantur, paulatim, et sensim in gravissima incidet, et in profundum malorum; ideoque Ecclesiasticus ait : « Tamquam a colubri fuge peccatum. » Videbitur tibi parum commendasse fugam peccati, siquidem non dixit : Fuge peccatum tamquam ab unguibus leonis, aut tamquam a tigridis dentibus, aut tamquam a facie draconis, nam coluber parum veneni habet. Intelligit hic ECCLESIASTICUS parvum peccatum, a quo fugere debet. Quare? quia Isaia, dicit cap. XIV, quod « ex radice colubri egrediatur regulus. » Basiliscus inter reliqua animalia venenosissimus est, et adeo malus est, ut solo intuitu hominem interficiat, atque ideo per illud intelligitur gravissimum omnium peccatorum. Fuge igitur a parvis, et a prioribus peccatis, ne forte oculis basilisci interficiaris, siquidem ex parvis peccatis gravissima oriuntur. In Ægypto misit Dominus cyniphes, quæ musculæ sunt parvæ; at postea magnas muscas misit, inde intelligas post parva mala majora subsequi. *Dn. Stel.*, in c. II, *Luc.*

Refert Olaus, quod, dum avis quædam in Suecia in celissimis montibus Dostrinis densissima nive contextis volitaret, contige-

rit, ut alarum suarum concussione aliquantulum nivem commoverit, quæ super aliam nivem decidens, eandem secum raptabat, donec tandem magis, magisque adactæ nives in vastam quamdam molem, et veluti montem niveum excreverint, quæ ingenti impetu deorsum cadens, omniaque obvia saxa et ligna secum raptans, in castellum quoddam cecidit, ad radices dicti montis situatum, ejusque muros, domusque, cunctis castelli incolis interfectis, in terram prostravit. Quam historiam credibilem esse existimo, cum factum, quod in ea refertur, non sit impossibile. Et vero sicut castrum hujus totalis destructio, et tot hominum inibi habitantium strages, a modica nive per volitantem avem in montis vertice commota suam traxit originem; ita quoque multæ civitates in periculis sæpe rediguntur factiones et schismata, et per strages et infestina, ac irreparabilia bella totaliter desolantur; et si in harum irreconciliabilium inimicitiarum inquiratur causa, omnes hæc calamitates sæpe ex unico lascivio aspectu, vel verbo pungente et contumelioso, suam traxisse originem deprehenditur. *Olaus Mag.*, l. XIV, XII.

Debet nos semper illud Nabuchodonosoris somnium, et cautos reddere, et sollicitos efficere; vide obsecro visionis ejus statuum, vide, inquam, a quanta sublimitate incipitur, et in qualem tandem finem deducitur. Sæpe videmus aliquos, quibus aliud in vita sua transacta non fuit studium, quam ut in virtutibus, et perfectione Christiana proficientes quotidie vitam agerent integerrime, optimis moribus decoram, exemplarem, et ædificatoriam, postea nihilominus horrendum in modum, quasi in cœnum, ut S. Bernardus ait, fuisse prolapsos. At vero quisnam terribilis illius naufragii scopulus extitit? Quinam aries aut quænam machina fuit, quæ ingentem hunc Colossum in terram miserabiliter prostravit? « Abscessus est lapsis sine manibus; » exiguis lapillus, id est, unicus impudicus aspectus id ipsum fecit; unicum verbum et iræ passione probatum, intestinum aliquod et veteratum odium parturire prævaluit. Statua, quæ ex auro incipit, inquit præfatus Ricardus, et in testam definit; puto, quia nemo repente sit turpissimus, sed qui minima negligit, paulatim defluit. *Rich. a S. Vict.*, ap. *Mansi*, d. v, n. 5.

In occidentalis Indiæ insula, Isabella

dicta, minutissimi insecti genus inter arenas nasci ferunt, quod Ninguam vocant, id postquam pedes incedentium invaserit, intrans digitorum unguoes, et cutem, vix initio sentitur, attamen nisi crebra lotione, et scalpro interimatur, quidam in cute oriuntur folliculi, in quibus maxima lendium copia, ab eo generata, ita brevi tempore multiplicatur, ut cuncta exedens, nullum aliud deinde remedium relinquat, nisi membri præcisionem, aut ustionem. FAB. JUST., in c. iv *Tob.*

In antiquis legitur historiis, quod dum ad transferendas ingentis magnitudinis et ponderis militares machinas cannabini funes, sive rudentes deessent, femine loci illius ad communem patriæ defensionem, capitum suorum comas unanimiter sibi præscindi fecerint, ex iisdemque in locum rudentium ex cannabe complexorum, validissimi consecuti fuerint funes, cannabini minime cedentes. « Militia est vita hominis super terram, » in qua inimicus infernalis, munitissimum animæ justæ fortalitium strenue impugnat, quia vero huic ad deducendas in suggestos tormentarios machinas suas peccatorum gravium et mortalium validissimi rudentes desunt, ideo peccata venialia, levia licet, instar capillorum eoque multiplicare satagit, ut exinde rudentes, valdeque ad promovendas machinas suas fines fiant. MANSI, d. v, n. 5.

Quod Absalon oomam nutrierit, quod eandem eodem quo aurum, pretio venderit, quod elegantem adeo et speciosam in capite suo capillaturam portarit, soli vanitati attribui, adeoque parvi aestimari poterat, et tamen videte, quisnam hujus capillaturæ ejus finis fuerit. Ait enim sacer textus : « Accidit, tu occurreret Absalon servis David, sedens mulo; cumque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum, et magnam, adhæsit caput ejus quercui, et illo suspensus inter cœlum et terram, mulus, cui insederat, pertransivit. » Hocque modo ex capillis suis ad quereum suspensus, tribus lanceis perfossus fuit. In quo facto Deus nobis insinuare voluit, quod, dum capilli, id est, peccata levia multiplicantur, ipso permittente, fiat, ut in peccata mortalia incidamus, ideoque tandem in patibulo infernali suspensi hæere cogamur. Verum quidem est, quod cor ejus tribus lanceis transossus fuerit, hoc tamen infortunium capillorum

suorum culpa ei accidit; licet enim sola peccata mortalia mortem homini æternam adsciscant, attamen hoc homini ut plurimum contingit in penam peccatorum venialium, quorum emendationem socorditer neglexit. Ib., n. 8.

Cornelius a Lapide ait verba illa Ecclesiastici : « Qui spernit modica, » multis accommodari posse, ut studioso, qui parva negligit, in scholis, et studiis, paulatim decidet, nec scientiam acquireret, sed perdet; infirmo, qui morbos medicos negligit incidet in majores; militi et Duci, qui parva in bello negligit, paulatim decidet, seque et exercitum perdet; patrifamilias, qui parva familiæ damna negligit, decidet in magna; mercatori, qui parva lucra spernit, amittit majora : unde mercatorum discere satagentium hoc est axioma : Nullum lucrum quantumvis exiguum negligit. Idem sibi prefigat mercium spiritualium, id est, virtutum, meritum et coronarum cœlestium mercator, ut ne minimam quidem augendæ virtutis meriti, et coronæ occasionem amittat. Quocirca Patres passim hanc sententiam adaptant peccatis levibus, quasi dicant : Qui spernit peccata levia, et venialia, sensim defluet, et tandem incidit in gravia et lethalia. CORNEL., in c. XIX, *Ecl.*

Videmus nonnumquam vastum aliquod navigium, opulentiis mercibus onustum, explicatis undique, ventoque tumidis velis, Oceani undas tanta cum velocitate pererrans, ac si alas haberet; mox vero idem videbitis navigium, adeo fortiter in iisdem undis immobiliter hæere defixum, ac si ad ejectionem hæreret anchoram, et tamen hujus morosæ hæsitacionis et defixionis causa, est parvulus quidam pisciculus, Remora communi nomine a naucleris appellatus. Quis diceret, hunc pisciculum tanta esse naturali vi præditum, ut in alto mari vastum aliquod tam immobiliter, tantoque tempore firmare et immobiliter sistere posse navigium? Quæ ergo talis mora, inquit Cassiodorus, ut in tantis tranquillitatibus velocia necdum fuerint destinata navigia, cum stellarum non mercantium Incidum sidus, tendi carbasa festinantes invitet, et aeris sereni fides, properantium nequeant vota terrere, aut forte incumbente Austro, reuigiisque juvantibus meatus navium Eche-neis morsus inter undas liquidas alligavit; aut Indici maris conchæ, simili potentia labiis suis navium dorsa fixerunt, quarum

quæletus tactus plus dicitur retinere, quam exagitata possint elementa compellere? Stat pigra ratis, tumentibus alata velis, et cursum non habet, cui ventus arripet. Sine anchora figitur, sine rudentibus alligatur, et tam parva animalia plus resistunt, quam tot auxilia prosperitatis impellunt. Enim vero anima nostra, cœlo possidendo a Deo creata, et pretioso Christi sanguine redempta, instar navigii cujusdam, pretiosis virtutum, donorum, et gratiarum cœlestium mercibus onusti, in hujus mundi mari magno explicatis et vento tumidis velis velociter progreditur, ut ad fortunata beati Regni littora feliciter appellat; et tamen sæpe contingit, quod in medio cursu, per aliquod notabile tempus, firmiter sistatur, et retardetur, ut Deo se conjungere, et ad portum ardentem desideratum pertingere non possit, ideoque suspirat et ingemiscens sæpe dicit : « Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est : quando veniam, et apparebo ante faciem Dei? Undenam vero fastidiosam hanc moram provenire existimas? Nimirum ab unica Remora, ab unico parvo pisciculo, id est peccato veniali; id ipsum animæ nostræ navigio contingit. Anima enim penam peccati venialis, non solum per dilationem beatificæ visionis Dei punitur, quando jam est soluta a corpore, verum etiam quando adhuc corpori unita est, retardatur, ut S. Thomas de Aquino ait, ne prompte in Deum feratur. CASSIOD., l. I, var. xxxv.

Anima electa in sacris Canticis dicebat : « Si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis. » At vero quoniam mysterio ostium illud solis tabulis cedrinis, non vero ex quovis alio ligni genere formatis occludi voluit? Pro responsione notandum est, quod lignum credrinum solidum sit, et densum, nec illas rimas admittat, nec tineas patitur; per ostium vero cor intelligitur : « Ego sto ad ostium et pulso. » Vult igitur, ut ostium illud, id est, cor compingatur ex tabulis cedrinis, id est, ita obturetur et occludatur diabolo, ne etiam per minimum quodvis peccatum eo penetrare possit : « Nolite locum dare diabolo. » Audite S. Bernardum dicentem : Quid a te querit, qui tanta sollicitudine te quasi-vit, nisi te sollicitum ambulare cum Deo tuo? Hanc autem sollicitudinem non facit, nisi Spiritus Sanctus, qui nec minimam paleam intra cordis, quod possidet, habita-

culum patitur residere. S. BERN., s. 1 de *Spir. S.*

Isaïas Propheta olim sancte gloriabatur, dicens : « Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimenta salutis, et indumento justitiæ circumdedit me : » qualismam vero hæc prerogativa, qua sanctus hic Propheta gaudebat, fuerit, ex sequenti S. Greg. doctrina intelligere possumus; hic enim ita scribit : Justitia indutus sum, et vestivi me, sicut vestimento. Vestimento utique, dum vestimur, ex omni parte circumdamur. Ille ergo justitia sicut vestimento vestitur, qui se undique bono opere protegit, et nullam partem actionis suæ peccato nudam relinquit : nam qui in aliis actionibus justus est, et in aliis injustus, quasi hoc latus cooperit, illud nudavit, nec jam bona sunt opera, quæ subortis aliis pravis operibus inquinantur. S. GREG., l. XIX, *Mor.*, c. XIII.

Vide sæpe cymbala magna et bene sonantia inutilia redacta, non quia in frusta contracta fuerint, sed quia nescio quo vulnere scissa, et perditia reperiuntur. Dum autem vis in eis inutilitatis causam inquirere, etsi millies ea undique circum lustres, non invenies, senties tamen, si pulses, quia raucæ sonant : nam scissura illa adeo subtilis, et imperceptibilis est, ut pauci ad discerni nullo modo possit. Sic quoque sæpe videbitis virum æstimatum ab omnibus, tanquam eximia virtute et perfectione præditum, juvenandis animabus plane deditum, austeritate vite, continentia, et solitudine se conficientem : ejus tamen vox in auribus Dei ingrata erit, nec tamen hujus displicentiæ causam, etiamsi studiosè inquiretis, invenire poteritis, licet revera causa illius sit, vel occulta quædam illius superbia, et præsumptio de sui ipsius virtute et perfectione, vel aliqua interius in animo delitescens inordinata ambitio vel alia similis passio : hæc enim sola ad confundendam et destruendam omnium operum suorum cæterorum virtuosorum et meritoriorum harmoniam sufficit. PHIL., l. de *Tenu.*

Si qua civitas contra insidiosè inimicos magno valletur aggere, fortibus cingatur muris, ex omni parte insomni muniat custodia, unum vero in ea foramen tantummodo immunum per negligentiam relinquitur, inde proculdubio hostis ingreditur, qui undique exclusus videbatur, ascendit, Civitatem mentis suæ quanta munitione val-

laverit Phariseus, audiamus : « Jejunio bis in Sabbato, decimas de omnium, quæ possideo, cui præmisit : Gratias ago tibi, etc. » magna certe munimina adhibuit; sed videamus, ubi insidiant hosti immunitum foramen reliquit, « quia non sum, sicut Publicanus iste : » ecce civitatem cordis sui insidiantibus per elationem aperuit, quam frustra per jejunia, et eleemosynas clausit. Incassum munita sunt cætera, cum locus unus, de quo hosti patet aditus, munitus non est. Gratias recte agit, sed perverse se super Publicanum extulit; civitatem cordis sui extollendo prodidit, quam abstinendo et largiendo servavit. Victa est per abstinentiam gula, destructa ventris ingluviæ, superata est largitate tanacitas. Quibus hoc laboribus actum credimus? Sed o quot labores uno vitio percussis ceciderunt! quanta bona unius culpæ gladio sunt perempta! S. GREG., l. c.

Christus legem appellavit jugum omnium præceptorum : « Tollite, » inquit, « jugum meum super vos. » Ubi diligenter est animadvertendum, quod non dicit : Tollite jugum super collum vestrum, aut super humeros vestros, sed super vos totos; universa enim Christiani hominis pars jugum legis asportare debet; quo sane argumento concludimus, quod qui hujus oneris partem recusaverit, sciat, se totum jugum abjecisse. DUDAC. STELL., in c. III. Luc.

S. Thomas Ag. in illud Christi : « Iota unum non præteribit, etc. » sic discurreit : Secundum Rabanum Iota significat Decalogum; apex significat minimam particulam præcepti, vel minimum significativum legis. Vult ergo dicere, quod iota unum, id est, unum de decem mandatis, aut unus apex, id est, minimum significativum in lege, non peribit a lege, donec omnia fiant, id est, non remanebit, quin impleantur et perficiantur.

MISCELLANEA.

QUALITAS. — S. Catharina Genuensis dicere solebat : Cognotissimum mihi est, quod quando amor purus vel exiguissimum imperfectionem deprehendit, si Deus non averteret, in pulverem redigeretur, non corpus modo, sed et anima nisi esset immortalis. *Vit.*, c. xv.

Cicero in adversis casibus hoc se sapientem solari debere dicebat, quod sciat, nullum malum esse nisi peccatum. CICERO, l. III, *Tusc.* qq.

S. Theresia dicebat : Faxit Deus, ut timeamus id, quod debemus timere, et intelligamus, majus malum posse advenire ab uno peccato veniali, quam a toto simul inferno, cum hæc sit ipsissima veritas. *Vit.*, c. xxv.

S. Catharina Genuensis alias dicebat : Quid putas præstarem, quantive facerem, etiamsi tot sanguineas lacrymas profunderem, quot maris sunt guttæ, ut satisfacerem pro peccatis meis? arbitraris pro minimo peccato satisfactionem? nequaquam. Nam si tantum patere, atque tandiu, quamdiu ipse diabolus, adhæc tot cruciatus et martyria in hoc tempore sustinerem, quotquot mente comprehendi possunt, non crederim, amorem posse hæc apud Deum significationis loco ducere, nec invenire vocabulum huic negotio congruum. *Vit.*, c. xxxix.

Recte de peccati gravitate majori cecinit Juvenalis :

Omne animi vitium tanto conspectus in se
Crimen habet, quanto major, qui peccat, habetur.
JUVEN., Sat. VIII.

Nec male Seneca : Cum videris forum multitudine refertum, et septa concursu omni frequentia plena, et illum circum, in quo maximam sui partem populus ostendit, hoc scito, isthic tantumdem esse victorium, quantum hominum. SENECA, l. II, de *Ira*, c. VIII.

Philippus Rex dicere solebat, mirari se, quomodo peccati mortalis reus dormire aliquando posset. *PED. CHR.* p. I, c. II, §. I.

S. Thomas mirabatur, posset hominem lethalis culpæ conscium, atque adeo in damnationis æternæ periculo constitutum, unquam ridere et lætari. *IBID.*

Cum Damocles Dionysii Regis felicitatem assidue deprædicaret, jussu ejusdem Regis in aureo lecto, inter unguenta, coronas, odores, juxta mensam regis cibus instructam collocatus experiri regiam fortunam jussus est, quos tamen attingere non est ausus, eo quod fulgentem gladium e seta equina suspensum, capiti suo impendere viderit. Cum autem et peccator gladium vindictæ divinæ vertici suo semper imminentem videat, quomodo hic timor non omnes ei mundi delicias sordere faciet! Non

male sane Plutarchus : Pravi homines, inquit, militiam in se suam contemplantes, ob voluptatem vanam statim gratiam habentem, inveniunt spei inanem esse eandemque semper abundare metu, dolore, memoria tristi, et de futuro sinistrarum suspicionum plenam esse. PLUTARCH., de *Vera numeris vindicta*.

Apollodorus aliquando in somniis vidisse scribitur, sibi cutim a Segthis detrahi, deinde elixari se, et cor sibi ex lebetæ dicere : Ego tibi horum causa sum. Idem profecto obiam peccatoribus cor suum dicit, dum futuras inferni penas illis ostendit. *IBID.*

FUGA. — Aristoteles dicere in Ethicis suis ausus est : Melius est mori, quam facere aliquid contra bonum virtutis. ARIST., l. III, *Eth.*

Publius Mimus quoque dixit : Tolerabilior est, qui mori jubet, quam qui male vivere. BUSECUS, in *Panar.*, fol. 385.

Moyes contrivit vitulum aureum in pulverem minutissimum, et dedit populo ex eo bibere, docens nihil prorsus peccati remanere in pectore debere. STAPL., text. in *Dom. 3 Quadr.*

Pharao multis plagis percussus tandem Dei populum dimittere voluit, sed ita, ut oves, et armenta in Ægypto remaneret; cui Moyes dixit : Cuncti greges pergunt nobiscum; non remanebit ex eis ungula, quæ necessaria sunt in cultum Domini Dei nostri. Applica peccatori et diabolo. *IBID.*

In LEVITICO præcepit Deus, carnem juveni et pellem ejus extra castra comburi, quia sacrificium erat pro peccato, ut hac oratione insinaret, nullas reliquias peccati in animo remanere debere. *IBID.*

In DEUTERONOMO quoque præcepit : Aras eorum subvertite, et confringite statuas, lucosque succendite, et sculpilia comburite : ut ostenderet, etiam omnem peccati memoriam esse abolendam. DEUT., VII, c. 5.

Idem significantius S. David expressit dicens : Effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini : nam de aliis liquoribus, si affundantur, vel pars aliqua, vel odor, vel color manet : nihil simile in aqua effusa videre est. *THR.*, I, 49.

Sauli præcepit Deus : Percute Amalec, et demolire universa ejus : non parcas ei, et non concupiscas ex rebus ipsius aliquid : sed interfice a viro usque ad mulierem, et parvulum atque lactantem, bovem et ovem,

camelum et asinum. Idem de peccato dictum sibi credat peccator. I REG., XV, I.

DAMNUM. — Tullia filia Servii Imperatoris, ut citius regnaret, patrem sua manu interemit, et in plateas ejiçit jussit, ubi ipsa in regio curru transire debebat; hortante autem auriga, patris corpus conculeatum iri, si pergat, dixit illa : Perge, perge, regium calca sanguinem, dummodo impirem. Annon idem faciunt peccatores calcantes sanguinem Christi, ut satisfacere queant cupiditatibus suis? KIFFELIAS, t. II, *Nilli mystiri.*, conc. XIX, n. 9.

Recte de remorsu conscientia dicit Seneca : Nullum conscium peccatorum tuorum magis timeris, quam temetipsum. Alium enim potes effugere, te autem numquam. Nequitia autem est ipsa sui poena. SENECA, l. de *Mor.*

Quidquid præter Deum, et non in ordine ad Deum diligimus, pignus diaboli est. Quod a nobis, dum repetit, et ejus occasione aditum in cor nostrum habet, per illud unum ad alia peccata nos trahit, vel certe a Deo nostro satis distrahit. STAPL., tr. V, in *Dom. 3 Quadr.*

Lysimachus Thraciæ Rex coactus ob ingentem sitim, aquæ scypho se regnumque suum hostibus tradere, epota quam exclamasse dicitur : Deus immortalis quæ hæc mea infelicitas qui me, totumque regnum meum tantilo corporis oblectamento vendidi! Quod ipsum tanto verius et majori cum dolore dicere potest peccato, quando præstantius est regnum, quod pro vilissima voluptate vendidit. PLUT., in *Apophit. Reg.*

Esau, ubi audivit præreptam sibi a Jacob benedictionem esse, irruit clamore magno, quanto magis peccator dolebit, si omnino Patris, et tanti quidem gratia excidisse se advertit. GEN., XXVII, c. 31.

Peccatum hydræ merito comparatur, quæ septem capitibus constabat, sed uno abscisso, statim alia pullulabant, donec Hercules obruncato capiti ignem admovit, et protuberantiam novi capitis impedivit. Merito ergo et peccator ignem charitatis divinæ adhibet, ne amputato uno peccato aliud subnascat. BEIRLINCX., tex. V, in *fest. S. Magd.*

Phœnici quoque non male comparantur peccatores, quæ ad sui constructionem ligna comportare dicitur; sic enim et peccator per peccata sua materiam pro æterno

incendio congregat. FAB., conc. III, in *Dom.* 24 post Pent.

Cassianus Tartarorum Rex cum filiam Regis Armeniæ post devictam Syriam in uxorem petisset, hæc tam deforem pepertit filium, ut nulla ratione Rex persuaderi poterit, hunc summ esse filium, ideoque uxorem velut adulteram morti adiudicavit, a qua tamen per miraculum liberata est. Justius hanc sententiam vereri potest peccator, si per gratiam in sponsam a Deo electus tam deforem peccati partum illi pariat. ID., conc. III, in *Dom.* 24 post Pent.

AXIOMATA.

Recte Horatius cecinit :

Seditione, dolis, scelere atque libidine, et ira,
Illicos intra muros peccatur, et extra.

HORAT.

Humanum est peccare : at in peccato perseverare diaprocul a peccato, procul a fulmine. bolicum.
Peccatum blande ingreditur, sed in fine mordet, ut
Peccanti fractus, diri post crimina luctus : coluber.
Peccatum et infamia sunt inter se confusa.
Nemo lealitur, nisi a seipso.
Nullum malum, nisi peccatum.

AUCTORES.

Franciscus Arrius, tr. *Integro.*
Joannes Buseus, in *Panario.* V. eodem.
Petrus Canisius, t. IV, de *Peccato in genere.*
Jacobus Alvar., de *Extinctu vitiorum.*
Nicolaus, Lancizius, *opus xvi.*
Bernardinus Rosignolius, lib. II, de *Disc.* relig. a c. vi.

Philippus D' Outreman, in *Pædagogico Christiano* p. I, cap. II et III.
Ludovicus Granatensis, in *Locis communibus*, fol. 226. et seq., in *Duce peccatorum*, passim.

Joannes Peleus, de *Summo bono.*
Joseph. Langius, in *Polyantha.* V. eodem.

Mathias Faber, conc. III, in *Dom.* 3 post Pent. et conc. IV, in *Dom.* 13 post Pent. Item conc. V et IV, in *Dom.* 19 post Pent. et conc. III, in *Dom.* 24 post Pent.

Laurentius Beirlink, in *Theatro vite hu-*

manæ, et in *Promptuario* text. IV, in *ser.* 2 Pent.

Henricus Engelgrave, *Dom.* 6 post Epiph.
Antonius Dauroltius, in *Floribus Ecclesiarum* c. VI, §§ 1, 2 et 3.

Josephus Mansi, in *Bibl. morali*, tr. LXXXVIII.

PERFECTIO CHRISTIANA.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est plena et absoluta finis sui ultimi consecutio; tunc enim res quælibet in sui genere perfecta censetur, cum finem, propter quem creata aut facta est pene obtinuit, uti omnium introductione patet; unde cum finis hominis sit, ut Deo serviat, eumque reveratur, laudet, et amet in hac vita, in altera autem perfecte possideat, facile patet, perfectionem illius in perfecta charitate consistere, per hanc quippe moraliter unitur Deo, et quantum in hac vita fieri potest, possidet Deum. Hinc Apostolus ait : Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis. COLLOSS., III, 14.

DIVISIO. — Dividitur in perfectionem vitæ « activæ, contemplativæ, et mixtæ, » de quibus S. Bernardus ait : Bonum acquirit gradum, qui bene ministraverit : meliorem forte, qui bene vacaverit Deo : optimum autem, qui perfectus est in utroque. S. BERN. in S.

EX SCRIPTURA.

QUALITAS. — Ambula coram me, et esto perfectus. GEN., XVII, n. 1.

Time Deum, et servite ei corde perfecto. JOS., XXIV, n. 14.

Estote ergo vos perfecti, sicut et pater vester caelestis perfectus est. MATTH., V, 48.

Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet; qui autem timet, non est perfectus in charitate. I JOAN., IV, 18,

Ego veni, ut vitam habeant, et abundantius habeant. JOAN., X, 10.

Qui servat Verbum ejus, vere in hoc charitas Dei perfecta est : et in hoc sumus, quoniam in ipso sumus. I JOAN., II, 5.

Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia, quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo, et veni sequere me. MATT., XIX, 21.

Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. JAC., III, 2.

Perfectus eris, et absque macula cum Domino Deo tuo. DEUT., XVIII, 13.

EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS. — Si vis perfectus esse, tu, qui perfectum te esse pollicitus es, quid aliud, quam perfectam secutus es vitam? Perfectus autem servus Christi nihil præter Christum habet, aut si quid præter Christum habet, perfectus non est, cum se perfecte Deo sit pollicitus, aut mentitus est. Os autem, quod mentitur, occidit animam; igitur ut concludam, si perfectus, cur paterna bona desideras? si perfectus non es, Dominum sefellisti. S. AUG., I, de *Perf. just.*

Nemo perfectus est, qui perfectior esse non appetit, ex eo perfectiorem quisque se probat, quo ad majorem tendit perfectionem. S. BER., in *Epist.*

Deo, a quo nos sumus facti, nos reddamus nec dominari nobis ea, quibus sumus naturaliter præpositi, permittamus, dominetur utilis ratio, subjiciatur corpus animo, animus Deo, et impleta est tota hominis perfectio. S. PROPS., I, III, de *Vita Contempl.*

Perfectus est, qui ad perfectionem irreprehensibiliter currit, carens criminibus, damnabilibus, atque ipsa etiam peccata venialia non negligens mundare elemosynis. S. AUG., I, c. IX.

Indefessum proficiendi studium, et jugis conatus ad perfectionem, perfectio reputatur. S. BER., in *Epist.* cxxiii.

Hominis proprium est, ut semper proficere appetat et nunquam ab inquisitione torpescat, et ad hujusmodi proficiendi sollicitudinem naturali impulsu ducitur, et ad hoc est conditus, ut potiora semper concupiscens perveniat quandoque ad id, quod nihil est melius, quod est ipse Deus. S. LAUR. JUST., in præm. de *Grad. perfect.*

TOMUS III.

Summa rationalis creaturæ perfectio est, principio suo conjungi, illique, quatenus licet, assimilari. Quo enim fuerit illi similior, eo erit perfectior. GRANAT., *Loc. com.*, fol. 113.

Electis, cum foris atas corporis intus, si dici liceat, crescit ætas virtutis. S. GREG., I, XXI *Mor.* cap. XIII.

Christus, sicut in illo ipso homine, quem gessit, ita in nostris mentibus quosdam gradus corporeæ ætatis exequitur. Nascitur, crescit, roboratur, senescit. Sed orandus, ne in nobis diu aut jugiter parvulus aut infirmus, et pauper sit. S. PAULIN., *ep.* III ad *Sever.*

Verus amor gradu uno contentus non est, ad altiora semper nititur, et ad perfectiora indesinenter concupiscit attingere. Quas habet, non magni facit virtutes, proficiendi accensus desiderio. S. LAUR. JUST., c. II de *Cast. connub.*

Hæc est in omnibus sola perfectio, suæ imperfectionis cognitio. HIER., in *Epist. ad Theoph.*

Tanto quisque perfectior est, quanto perfectius sentit dolores alienos. GREG., in *Homil.*

Valde perfectorum est, ostenso opere, auctoris gloriam quærere, ut illata laude privata nesciat exultatione gaudere. GREG., *Moral.*

Hominis perfectio, continentia sibi, innocentia proximo, patientia utriusque. BERNARDUS, super *Cant.* serm. LXX.

Homo perfectus cautus sibi, placens Deo, utilis suis. ID., serm. LIX.

Quicquid verum est ac bonum, id perfectum non potest esse nisi fuerit singulare. LACTANTI.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Omnis perfectio in hac vita quamdam imperfectionem sibi habet annexam. L. I, c. III, § 4.

Quare quidam Sanctorum tam perfecti et contemplativi fuerunt? quia omnino seipso mortificare ab omnibus terrenis desideris studuerunt, et ideo totis medullis cordis Deo inhærere, atque libere sibi vacare poterunt. L. I, c. XI, § 2.

Totum et maximum impedimentum est, quia non sumus a passionibus et concupis-